

Edidit eloquio Domini magnalia greco.
 Voce prophetali faciens primordia libri
 Narrat per plebem celebrare lavacra Iohannem,
 Daemonis et fraudes Ihesum devincere scribens,
 Pluribus et signis divino iure patris
 Ut crucis in gabalo delevit crimina mundo.
 Quem fera mors sepelit, vivum hunc lux tertia reddit,
 Et sedet a dextris deus et homo cunctiparentis. —
 Formam frendentis tenet iste sophista leonis.

[Bl. 3^b]

Lucas, bartlos; grüne Tunica, graues Pallium.

[Bl. 4^a]

Lucas Syriacus, greco sermone peritus,
 Discipulus Pauli, scripsit praeconia Christi,
 Quae de Zacharia fecit coepisse propheta;
 Commemorat vero, venit ut paranymphus ab alto
 Eulogium sanctae de patre ferendo Mariae,
 Ut pius omnigenis salvator consulit aegris,
 Verbis et factis dilatans signa salutis.

Postremo passum narrat triduoque sepultum,
 Discipulis visum caeli super ardua vectum. —
 Hic evangelii scriptor nitet ore iuvenci.

[Bl. 4^b]

Iohannes, bartlos; blaue Tunica, mattpurpurnes Ober-
 gewand mit goldenen Kreisen (opus circulatum).

[Bl. 5^a]

Caelitus incipiens seriem symmista Iohannes,
 Principio verbum cum patre fuisse coaequum
 Asserit et mundum factum docet esse per ipsum.
 Nominat et hominem missum venisse Iohannem,
 Elogium luci verbo perhibere fideli.
 Qui fuit ante aevum, testatur tempore natum,
 Gratis et hunc ipsum cruciamina corpore passum
 Ac cruce suspensum, fossum latus atque sepultum,
 Surgentemque suis dare maxima gaudia caris. —
 Hic aquilam verbo designat in alta volando.

[Bl. 5^b]

Der segnende Christus auf einem mit mennigrothem
 Kulter belegten Throne, das Buch in der Hand,
 um ihn die Evangelistensymbole. Die Christus-
 gestalt jugendlich und bartlos, sehr bedeutend;
 blaue Tunica, purpurner Mantel.

[Bl. 6^a]

Pro summa meriti thronus est aecclesia Christi,
 Qua residens totum placidus regit undique mundum.
 Quattuor haec, solium quae stant animalia circum,
 Constat mysterium totidem signare virorum,
 Quos euangelicos certum est conscribere libros:
 Ex aquilae celebrem signo cognosce Iohannem,
 Per vituli formam debes agnoscere Lucam,
 Marcum si quaeris, monstratur in ore leonis,
 Per hominis vultum signanter habeto Matheum:
 Ex horum scriptis animatur quisque fidelis.